

I 2 W

1 6 0 5



✓ 00/19.

ms. Nr. 296.

Gesner, Jul., Belg. disputations)

—(46) Hoe, M.


K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit  
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7







*Cum auctoritate SS. TRIADOS,*

**PRO SECVNDA  
PARTE EXAMINIS CON-  
CILII TRIDENTINI REVEREN-  
DI ET CLARISSIMI VIRI Dn. D.  
MARTINI CHEMNITII  
DISPUTATIO PRIMA  
quatuor capitum,**

- I. De vocabulo Sacramenti eiusq. definitione.*
- II. De numero Sacramentorum Novi Testamenti.*
- III. De convenientiâ & differentiâ Sacramento-  
rum Veteris & Novi Testamenti.*
- IV. De differentiâ Sacramentorum inter se.*

Quam ventilandam

*Sub Presidio*

**SALOMONIS GESNERI,**  
SS. Theol. Doct. & Profess. in Academia Wi-  
teb. publici proponit ad Decemb. 1.  
in Templo Arcis Electoral.

**M. IACOBVS BOIE** Lubecensis.

WITEBERGÆ,

*Typis V Volffgangi Meißneri, Anno 1602.*

*Constat 2099.*





MAGNIFICIS, AMPLIS-  
SIMIS, CONSULTISSIMIS, VERÆ  
DOCTRINÆ, SAPIENTIÆ ET VIR-  
tutis Gloriâ Excellentissimis

Viris,

Dn. ALEXANDRO LUNEBURCH,  
Dn. IACOBO BORDINGIO I. U. D.

*Inclytæ Lubecensium Politia Consulibus digniss.*

ET

Dn. PETRO MARTENS,  
Dn. BARTHOLDO SAFFEN,  
Dn. CASPARO BOIEN,

*Eiusdem Reip. senatoribus spectatiss. fidelissimis:*

NEC NON

Dn. ALBERTO SCHILLING,  
Dn. CHRISTIANO AB HOVELEN,  
Dn. ALEXANDRO LUNEBURCH,

*Patritijs Lubecensibus, viris Natalium splen-  
dore, virtute, eruditione & dignitate  
summè præclaris,*

Dominis, Mæcenatibus ac Patronis suis omni obse-  
quiorum genere honorandis,

*Hæc theses*

*In debitæ gratitudinis τεκμηρίον  
Perpetuæ observantiæ σύμβολον*

*submitte offert & nuncupat*

*M. Iacobus Boie Lubec.*



## T H E S I S I.



*Haec sunt media, per quae Deus pro ineffabili benignitate & immensa suâ misericordiâ omnibus temporibus inde usq; à mundi exordio, ex genere humano collegit, adhuc colligit, atq; deinceps usq; ad seculi consummationem sibi collecturus est Ecclesiam, à qua & in hac vitâ, & in omni aeternitate vult agnosci, coli & celebrari, V E R B U M videlicet & S A C R A M E N T A.*

## II.

*In quibus medijs cum Diabolus, hostis Dei & Ecclesia insensissimus, cardinem totius nostrae salutis versari intelligat, nihil non tentat, nullum non movet lapidem, & nullas non astutiae potentiaq; suae machinas profert, ut ea varijs hereticorum commentis, profanorum inquinamentis involuta, contaminataq; reddat.*

## III.

*Cuius rei documentum in posteris primorum nostrorum parentum liquidissimum habemus, quos primum à verbo Dei tanquam lymphidissimo Israël source abduxit, abductos impulit, ut juxta proprias animi concupiscentias liberrimè viventes varias opiniones sibi fingerent de Deo, legitimum Sacramentorum usum in adorationem ignis & hominum mactationes transformarent, & sacrificia ac circumcisionem ex opere operato gratiam conferre statuerent.*

## IV.

*Sic idem ille Diabolus pro odio suo inextinguibili, quo iam inde à mundi origine flagrat, furit & aestuat in Ecclesiam Dei, hoc nostro quoque seculo proterva & profligata quadam ingenia excitare pergit: quae non tantum verbum Dei, tanquam salutis nostrae arcem & commune propugnaculum acerrimis conatibus oppugnare, eiusq; veritatem offusis densissimis tenebris obnubilare ausu nefario attentent; verum etiam*

A 2

doctri-



doctrinam hanc de Sacramentis atrocissimè & pertinaciter impugnare quoquo modo studeant, ut sunt Papistæ, Iebusitæ, & ejusdem farina homines alij.

V.

Quarè cum tantum sit molimen Diaboli & membrorum eius, rem Deo gratam & Ecclesie non infrugiferam ij faciunt, qui è Spiritus sancti officinâ tela proferunt & arma subministrant, quibus conatus ille Diaboli irritus reddi, ipsiusq; ignita jacula, intenta non jugulis, sed animabus hominum, potenter elidi possint.

VI.

Quod cum in primâ Examini nostri parte hæctenus sit factum, ubi quidem à primo salutis nostræ medio, videlicet VERBO Dei initium fecimus; ita in alterâ parte quoq; deinceps fiet, ubi ab altero medio, videlicet à SACRAMENTIS, ordiemur, Deum opt. max. rogantes submisisse, ut supremus & ὁ ὠνάρχης καὶ δὲ αὐτῆς nos regere, spirituq; suo in omnem veritatem ducere velit, ut adversariorum φλυασιᾶς refutare, & pro veritatē acerrimè pugnare valeamus.

## CAPIT PRIMUM.

DE VOCABULO SACRAMENTI,  
eiusque definitione.

VII.

Vocabulum Sacramenti quod attinet, Hebræi duas habent voces, quæ eius naturam explicant. Prior est קַדְשׁ, quæ generalior est, & ad omnia consilia, secreta & arcana ferè refertur, & crebrius à prophetis in Veteri Testamento usurpatur. Altera vox est סֵתֶר, vel סֵתֶר, quâ formâ Daniel utitur cap. 2. 18. 19. ubi agit de mysterio somnij Nebucadnesaris, quod erat absconditum & occultum.

VIII.

Graci:



Græci Sacramentum vocant μυστήριον, quam vocem ita interpretatur Suidas: μυστήρια ἐκλήθησαν ὅτι τοὺς ἀκούοντας, μύειν τὸ σῶμα, κὶ μὴ ἐνὶ ταῦτα ἐξηγεῖσθαι, μύειν δ' ἐστὶ τὸ κλείειν, hoc est, mysteria inde dicta sunt, quod qui ea audiunt, os claudunt, neminiq̄ enunciant: Nam μύειν idem est quod claudere. Hinc enim ἐκ τῶ μύειν fit μύειν, quod est sacra edocere, quæ veteribus erant abscondita & arcana: & μύστης, sacris initiatus, sacrorumq̄ peritus & interpret.

## IX.

Latina vox Sacramentum dicitur a verbo sacro, quod significat Deo offero, dedico, consecro. Apud profanos autores plerumq̄ significat solenne iuramentum, quo milites certo ritu & præscriptis verbis obstringebantur Reipub. & Magistratui. Varroni lib. 4. de lingua latinâ est pecunia à duobus contendentibus apud Pontificem eâ lege deposita, ut qui sponsione vicisset, suam rursus integram reciperet: victi autem pecunia arario templi attribueretur. Interdum ipsis est iurandum seu obligatio interuentu Numinis & religionis confirmata. Et merito Lutherus ab initio partis secunde libri cōtra cælestes prophetas deridet insaniam Carolstadij, qui Sacramenta blasphemè contemnens non dubitaverit Seker Thēmūnot, id est, falsa signacula cum Iudæis illa nuncupare, quasi vox Sacramenti ab Hebræâ origine descenderet, quod longè est absurdissimum.

## X.

In Ecclesia verò dupliciter usurpatur γενικῶς ἢ ἐιδικῶς. γενικῶς quando accipitur, significat primò quiddam arcanum rei sacre & divinæ, seu quod secretum & à communi hominum notitiâ & sensu remotum est. Deinde denotat Evangelij doctrinam de Christo redemptore nature ignotam, à solo Filio Dei ex sinu æterni patris prolatam & revelatam: Sic incarnationem, passionem, resurrectionem Christi Paulus vocat mysterium seu Sacramentum Rom. 16. v. 25. 1. Cor. 4. v. 1. Tertio

A. 3.

mysti-



mysticam interpretationem, ut in Scriptoribus Ecclesiasticis Tertulliano & Augustino legimus. Quarto signa seu signacula, quibus Deus sancit seu obsignat hominibus certitudinem promissionum quarumlibet suarum: sive ea Dominus olim exhiberi in natura, ut iridem in nubibus: sive in miraculis, quale signum est vellus Gideonis, Sol retrogradus, & alia.

## XI.

Eidem seu specialiter vox Sacramenti à Patribus Ecclesiasticis sumpta ad Sacramenta proprie sic dicta transfertur, & denotat ea signacula, quae non promissionem aliquam corporalem, sed spiritualem gratuiti favoris Dei nobis conferunt & obsignant.

## XII.

Hæc posterior Sacramenti significatio licet aliquam affinitatem cum illis scripturae exemplis, de quibus dictum est, habeat, non tamen ex scriptura, sed ex Ecclesiasticâ loquendi consuetudine sumpta est. Scriptura enim nusquam vel Baptismum, vel Eucharistiam vocat mysteria vel Sacramenta. Hactenus de nominis notatione; sequitur ipsa definitio.

## XIII.

Est autem Sacramentum ritus, ceremonia seu actio sacra divinitus instituta, constans peculiari verbo & administratione elementi integri, addita promissione gratiae, quae est Evangelij propria, ut promissionem gratiae singulis applicet, & fidem in utentibus obsignet & confirmet.

## XIV.

Hæc definitio, si sub accuratum examen Logices Spiritus S. revocetur, maxima rerum momenta & pondera nobis proponit, quae accurato studio evolvenda, & ad libram verbi ac trutinam spiritus S. exponenda & explicanda, erroresque his oppositi profligandi sunt.

## XV.

Primò enim quod Sacramenta sint actiones testantur  
verba



verba institutionis, circumcidite, baptizate, bibite, comedite,  
hoc facite.

## XVI.

Sacra verò actio Sacramentum nominatur I. ut discernatur ab actionibus naturalibus. II. à superstitiosis ceremonijs divinitus non institutis, quarum multa & excogitata, & recepta sunt in papatu. III. à politicis & æconomicis actionibus, quæ etsi divinitus & instituta sunt, & approbantur, non tamen dicuntur sacra, quia de beneficijs Dei nos non confirmant.

## XVII.

Causa efficiens Sacramentorum est solus Deus expresso verbo mandans & ordinans Sacramenta.

## XVIII.

Partes Sacramentorum ουσιαστικῆς due sunt. Una est Elementum seu res in oculos incurrens, non humano arbitrio delecta, sed voce instituentis Dei ceu digito notata, totiꝫ Ecclesie usq; ad consummationem seculi usurpanda demandata: Altera est Verbum Dei formam addens.

## XIX.

Non tamen verbum hic intelligendum est universale de misericordiâ Dei propter filium promissâ, sed peculiare. Idq; duplex: prius προσαγματικόν ritum ordinans & actionem definiens: Deinde ἐπαγγελιαστικόν gratiam Dei & remissionem peccatorum singulis hominum individuis offerens & applicans. Unde Augustinus rectè inquit: Accedat Verbum ad Elementum & fit Sacramentum.

## XX.

Graviter igitur errant Pontificij primò, quando partes Sacramenti faciunt quodlibet tum elementum, tum verbum; deinde quando ad veritatem & substantiam Sacramentorum requiri statuunt intentionem ministri, non tantum respectu actus in administratione: sed etiam respectu effectus.

CAPVT



CAPUT SECUNDUM.  
DE NUMERO SACRAMENTORUM  
Novi Testamenti.

## XXI.

Duo sunt verè ac propriè dicta Sacramenta Novi Testamenti quorum usus perpetuus & universalis est in Ecclesiâ, Baptismus scilicet, qui Circumcisioni successit: & Cæna Domini, quam agnus paschalis adumbravit.

## XXII.

Horum duorum si quispiam ἀπόδειξιν requirat, ea erit ex sacris parata. Primò, quia hæc duo & non plura Christus instituit Matth. 26. & 28.

## XXIII.

Secundò, quia vera definitio Sacramenti his duobus tantùm competit. Ipsa ergò definitionis lege plura excluduntur, quoniam τὸ ὄσιον μὲν οὐδὲ πρὸς θεοῦ ἐστίν, οὐδὲ ἀφαιρέσιον.

## XXIV.

Tertiò, quia duobus his tantùm illa competunt, quæ ad Sacramenta Novi Testamenti requiruntur: quorum primum est externum aliquod materiale seu corporale & visibile elementum seu signum, quod certo externo ritu tractetur, exhibeatur, & usurpetur. Secundum: expressum mandatum & institutio divina. Tertium: institutum & mandatum factum in Novo Testamento. Quartum: non ad tempus, sed duratio usq; ad mundi finem, sive usq; ad iudicium. Quintum: promissio divina de gratiâ, effectû seu fructu Sacramenti. Sextum: promissio non habens testimonium in verbo Dei, sed annexa peculiariter signo Sacramenti, & eo quasi vestita. Septimum: promissio non de quibusvis donis corporalibus; sed de toto beneficio redemptionis. Octavum: exhibitio, applicatio & obsignatio gratiæ in singulis, qui fide Sacramentis utuntur: non generalis tamen oblatio, annunciatio aut significatio.

25. Septem.



## XXV.

Septenarium autem numerum Sacramentorum quod attinet, ille neq. ex scripturâ, neq. ex antiquorum orthodoxorum Patrum scriptis desumptus est, sed recens tempore Hugonis & Lombardi in Ecclesiam introductus, quod inde liquet.

## XXVI.

Si enim quis hujus commenti de numero septenario rationes & fundamenta à Scholasticis illis symmisticis & sophisticis exquirat, nihil ex sacrarum literarum oraculis, nihil ex orthodoxorum Patrum monumentis, sed ex rancidis & anilibus fabulis (hoc est ex cisternis traditionum humanarum, quarum parem, nonnunquam etiam maiorem volunt esse auctoritatem, quàm scripturâ) tam frigidas, tam futiles, tam elumbes ab illis afferri collectiones animadvertet, ut earum etiam ipsos conductitios patronos regni Pontificij, qui aliquid frontis habent, pudeat.

## XXVII.

Qui tamen ne ipsi quidem invicem consentiunt. Alij enim congruere hunc numerum voluerunt ad distinctos gradus hominum in Ecclesiâ his in terris militante. Nam Baptismum dixerunt esse intrantium in Ecclesiam: Confirmationem pugnantium: Eucharistiam vires resumentium: Pœnitentiam resurgentium: Extremam unctiorem excuntium: ordinem ministrantium: Matrimonium novos ordines introducentium.

## XXVIII.

Alij ad septem virtutes spirituales habendas, ita, ut Baptismus sit Sacramentum fidei: Confirmatio spei: Eucharistia charitatis: Pœnitentia iustitiæ: Extrema unctio perseverantia seu fortitudinis: Ordinatio prudentiæ: Matrimonium temperantiæ.

## XXIX.

Alij hanc rationem assignant, quod ordinantur contra septem morbos spirituales, seu triplicem culpam, & contra quadruplicem pœnam. Baptismus contra peccatum originale: Pœnitentia contra mortale: Extrema unctio contra veniale: crdo contra ignorantiam: Eucharistia contra malitiam: Confir-

B

matio



matio contra impotentiam. Matrimonium contra concupiscentiam.

XXX.

Alij ad septem sigilla libri, Apoc. 5. Alij ad septem tubas Angelorum, Apoc. 8. Alij ad septem stellas in dextrâ filij hominis, & septem candelabra, Apoc. 1. Alij ad septem panes, quibus Christus satiavit turbam, Matth. 15. Alij ad septem oculos super lapidem, Zach. 3. Alij ad septem lucernas in tabernaculo, Exod. 33. confugerunt.

XXXI.

Nos verò ad hæc ipsorum commenta respondemus, quod sint mera ἀναλόγησις, merâq; ineptia, ad rem tantam probandam. Si enim hoc modo, Pythagoreorum videlicet more, licet argumentari, nos ex eadem Logicâ sine ullo negocio vel plura, vel pauciora, quàm septem, demonstrabimus Sacramenta.

XXXII.

Cur enim non unum est Sacramentum, quia unus est Christus? aut duo, quia duo sunt Testamenta? aut tria, quia tres sunt personæ Divinitatis? aut quatuor, quia quatuor sunt Evangelista? aut quinque, quia quinque sunt libri Moysis? aut sex, quia sex hydriæ erant posite in Canâ Galilææ? aut octo, quia octo beatitudines? aut novem, quia novem peccata aliena? aut decem, quia decem præcepta? aut undecim, quia undecim discipuli Dominum in Galileam sunt secuti? aut duodecim, quia duodecim Apostoli? aut denique septuaginta, quia septuaginta fuerunt discipuli Christi?

XXXIII.

Cum igitur harum demonstrationum Scholasticarum tanta sit futilitas, tantaq; imbecillitas, ut moderni etiam Iebusitæ facile intelligant, se in tanta luce Evangelij veteribus illis commentis non posse amplius homines dementare, nova consarcinant perizomata, si forsan panniculis detritis & reticulis novo assumpto vel speciem aliquam induere possint.

XXXIV.

Duobus enim argumentis ad stabiliendum septenarium

Sacra-



Sacramentorum numerum utuntur. Primum tale est: si Patres orthodoxi vocabulum Sacramenti præter Baptismum & Cœnam Dominicam accommodarunt etiam reliquis quinque, Ecclesia non alligata erit ad binarium Sacramentorum numerum. At antecedens verum. Consequens igitur.

## XXXV.

Antecedens testimonio Augustini, Hieronymi, Bernhardi & aliorum Patrum probare conantur.

## XXXVI.

Verum nos ab illis fallaciam ὁμωνυμίας in vocabulo Sacramenti committi respondemus. Illo enim aliàs ἑτερονομία, aliàs ἑτερονομία, ut supra dictum est, patres utuntur. In allegatis testimonijs non in posteriori, sed priori significatione vocem Sacramenti usurpant. Nam ut ipsis aliquid sit Sacramentum, satis est si rei alicuius divina, vel sacra, signum sit, præsertim si in publicis Ecclesia conventibus & externis certis ritibus usurpetur, sive mandatum habeat à Christo in Novo Testamento, sive ex Veteri Testamento sit sumptum, vel à viris Ecclesiasticis excogitatum.

## XXXVII.

Neque hæc mens est patrum, quando vocabulo Sacramenti in latiore significatione utuntur, ut illud intra meas septenarij numeri velint semper contineri, quam mentem falso ipsis asserunt Esavita; sed quod etiam possit pro conditione subiectæ materiæ ultra septenarium numerum extendi.

## XXXVIII.

Quod quibusdam testimonijs Patrum probatur, quorū alij pauciora quàm septem, alij plura numerant. Qui pauciora recensent, sunt 1. Dionysius, quæ Pontificij fingunt esse Arcopagitæ illū, qui in Ecclesiasticâ Hierarchiâ quatuor tantū Sacramenta esse exponit: Baptismum, Eucharistiam, Confirmationem & ordinem. 2. Gregorius, qui can. mult. secul. expressè tria tantū Sacramenta, quibus definitionem accommodat, numerat: Baptisma, chrisma, corpus & sanguinem Domini. 3. Paschasius, qui de Cœnâ Domini inquit: sunt autem Sacramenta Christi



si in Ecclesiâ catholicâ Baptismus, corpus quoque Domini & sanguis.

## XXXIX.

Qui plura, quàm septem, numerant, inter illos primus occurrit Augustinus, qui de peccatorum meritis lib. 2. cap. 26. dicit: Catechumenos ante Baptismum secundum quendam modum suum per signum Christi sanctificari: Illud verò signum crucis contra Faustum lib. 19. cap. 14. inter Sacramenta numerat, quemadmodum & Psal. 141.

## XL.

Deinde Psal. 65. & de symbolo ad catechum. lib. 4. c. 1. Omnes ritus, qui præter baptismationem in actione Baptismi tunc temporis adhibebantur, vocat Sacramenta, quales fuerunt exorcismus, orationes, cantica, insufflationes, cilicium, inclinatio cervicum, humilitas pedum, & alia.

## XLI.

Denig, lib. 2. de peccatorum meritis cap. 26. panem benedictum Sacramentis accenset.

## XLII.

Bernhardus etiam in sermone de Cœnâ Domini multis contendit ablutionem pedum esse Sacramentum remissionis peccatorum quotidianorum: Et in benedictione salis circa baptismum Pontificia Ecclesia ita orat, ut in nomine S. S. Trinitatis efficiatur salutare Sacramentum ad effugiendum inimicum.

## XLIII.

Hinc iam manifestum evadit, si signum crucis, si panis benedictus, si omnes ritus ante Baptismum observati, si ablutio pedum, si benedictio salis circa Baptismum Sacramenta appellantur, numerum Sacramentorum Pontificiorum longè ultra septenarium progressurum.

## XLIV.

Fumos igitur venditant Pontificij simplicioribus, quando ex significatione vocabuli sacramenti latè sumpti numerum septenarium, collectis hinc inde Patrum testimonijs, magno conatu, sed tamen irrito, probare nituntur.



## XLV.

Nullum enim testimonium firmum ex piâ & orthodoxâ antiquitate (licet de eius consensu & suffragio maximè glorientur) ad corroborandam & stabiliendam suam preconceptam opinionem proferre possunt, sed potius contrarium, quod duo sint tantum Sacramenta N. Testamenti propriè sic dicta, inde deprehenditur.

## XLVI.

Quando enim antiqui Patres orthodoxi in strictiore significatione vocabulo Sacramenti utuntur, & de Sacramentis N. Testamenti loquuntur, tantum Baptismi & Cœnæ Domini-  
cæ mentionem faciunt. Iustinus Apol. 2. Irenæus lib. 1. cap. 9. lib. 4. cap. 32. 33. 34. Tertullianus lib. 1. & 4. contra Marcionem, & lib. de coronâ militis. Cyrillus in Cateches. Ambrosius in lib. de Sacramentis.

## XLVII.

Præcipuè quando incidunt in historiam passionis Christi, quomodo ex latere eius profluxerit sanguis & aqua, dicunt illa esse Ecclesiæ Sacramenta, aquam in Baptismo, & sanguinem in Eucharistiâ: Augustinus de symb. ad Catechum lib. 2. cap. 6. De civitate Dei lib. 5. cap. 26. In Iohan. cap. 9. In Psal. 40. Beda ex Augustin. 19. cap. Iohannis. Chrysostr. in Ioh.

## XLVIII.

Alterum argumentum Pontificiorum, quod pro numero septenario adducunt, tale est: Cui convenit definitio eidem & definitum. Sed Pœnitentiæ, Ordinationi, Confirmationi, Matrimonio & Extremæ unctioni convenit definitio Sacramenti. Ergo & definitum.

## XLIX.

Ad probandam minorem congerunt varias variorum autorum definitiones, præcipuè Augustini, Hugonis, Lombardi, Scoti & Occæ.

## L.

Nos verò turpem ab illis adolexiu committi asseveramus. Omnes enim illæ allatæ probationes non sunt veræ definitiones, sed partim vocabuli explicationes, partim descriptiones, cum conditionibus bonæ definitionis apertissimè pugnant.



res Quaedam enim earum suo definito sunt latiores, dum numerum septenarium excedunt: quaedam angustiores, dum non omnia septem sacramenta suo complexu continent, quod in singulis in cursu disputationis ad oculos demonstrare sumus parati.

## LI.

Quod verò Pontificij nobis regerunt, se eadem libertate nostras quoque definitiones posse reijcere & improbare. Id quidem dicitur, sed nondum probatum & demonstratum est.

## LII.

Possent quidem, si nos eorum stoliditatem imitati ad erudendas &  $\alpha\omega\delta\epsilon\zeta\eta\theta$  definitiones nostras transformaremus, donec proposito nostro congruerent (quod certe idem esset, ac si architectus aequabilitatem aedificij demonstrare vellet, & non lapides ad regulam accommodaret; sed contra regulam ad lapides transformaret & inflecteret.) Nos verò aliter edocti hoc ordine non progredimur, sed prius sumimus fundamentum, quod extra controversiam & inconfesso est apud omnes. Baptismus enim & Eucharistia omnium confessione verè & proprie sunt sacramenta. Hinc jam colligimus.

## LIII.

si ex institutione duorum sacramentorum N. Testamenti, Baptismi nimirum & Cæne Dominica, id duntaxat nomen & definitionem sacramenti proprie sic dicti sortitur, quod salutem & justitiam fidei obsignat, quod constat verbo & mandati & promissionis divina, quodque reliqua requisita habet omnia, sequitur quinque commentitia & adulterina Pontificiorum sacramenta, quod illis requisitis non gaudeant, exolescere & in fumum ac ventos abire. sed verum prius. Ergo & posterius. Hæc est nostra collectio, hæc est nostra, ut verissima, ita & certissima, demonstratio.

## LIV.

Quod verò quinque illa Pontificiorum sacramenta omnia requisita in sacramentis proprie sic dictis necessaria non habeant, & ob id nomen sacramenti non mereantur, in singulis facile demonstrabimus.

## LV.

Pæni-



*Pœnitentia non est Sacramentum: I. quia non habet ex di-  
vinâ institutione certum externum elementum, signum aut  
ritum divinitus mandatum. Licet adhibeatur vel impositio  
manuum, vel aliquis alius externus ritus; destituitur tamen  
certo peculiari & expresso mandato Dei. II. quia non extat  
promissio, quæ per talem externum ritum Deus velit efficax  
esse ad applicationem promissionis Evangelij. III. quia non  
in N. Testamento cœpit, sed fuit & viguit etiam apud fideles in  
V. Testamento. Pœnitentia itaq; inter sacramenta referrî ne-  
quit.*

## LVI.

*Nec ordinatio: I. quia caret materiali seu corporali & vi-  
sibili elemento seu signo. Aliud enim sunt ritus ab hominibus  
instituti, aliud res externa, quæ tractari, & verbum illis ad-  
jungi potest. II. quia per elementum ordinationis non confer-  
tur remissio peccatorum & gratia Dei personis ordinatis, nec  
habet illa talem promissionem, quod mediante vocatione & or-  
dinatione ad ministerium velit Deus personæ ordinata vel  
applicare, vel obsignare remissionem peccatorum & aternam  
salutem. III. quia est communis tam V. quàm Novo Testa-  
mento.*

## LVII.

*Nec conjugium: I. quia non cœpit tempore N. Testamenti.  
II. nec habet promissionem gratia justificantis. III. quia non  
est organon seu medium, per quod Deus offerre, exhibere &  
applicare velit beneficia redemptionis. IV. quia caret externo  
elemento & verbo Dei mandato.*

## LVIII.

*Nec Confirmatio: I. quia destituitur univèrsus ritus con-  
firmationis verbo institutionis & mandati. Nusquam enim le-  
gitur in sacris, Dominum præcepisse homines unguendos esse  
chrismate, eoque ad spiritualem luctam adversus Sathanam ar-  
mandos. II. quia quoad tempus ritus iste fuit institutus, non  
usq; ad seculi consummationem. III. quia caret promissione  
gratiæ & remissionis peccatorum. IV. quia sapit divini nomi-  
nis horrendam & impiam profanationem.*

59. Nec





## LIX.

*Nec Unctio extrema: I. quia non est à Christo instituta. II. quia deest Pontificia unctio mandatu Dei & Christi, omne exemplum primitiva Ecclesie. Et licet accedat Verbum ad Elementum: In nomine Patris, Filij & spiritus s.; tamen & elementum non est mandatum à Deo, & verbum illud non legitime, sed prorsus impie accommodatur ad inventum humanū imò Diabolicum. III. quia distinguitur ab Apostolorum unctio. Finis Apostolica unctiois fuit sanatio corporis: Pontificia verò anima, cum summā blasphemiā in articulum de justificatione & salute nostrā perpetuā.*

## LX.

*Remotis igitur quinq; Pontificiorum fictiis sacramentis, pro quibus tot σοφισμασι, tot imposturis armati pugnant, & τὸ δ' εὐκτικῶς concludimus, duo tantum esse verè & propriè dicta Sacramenta, Baptismum scilicet & Cœnā Domini, siquidem illis definitio Sacramenti, & octo requisita propriissime attribuantur.*

## CAPUT TERTIUM

DE CONVENIENTIA ET DIFFERENTIA Sacramentorum Veteris & Novi Testamenti.

## LXI.

*Pontificij differentiam utriusq; federis tam latā tradunt, quod statuunt per Sacramenta V. Testamenti Deum nullā planè ratione contulisse gratiam credentibus, etiam quando in fide & charitate usurpata fuerunt, sed in onus & servitutem, non in justificationem humeris Iudeorum imposuisse; per Sacramenta verò N. Testamenti dedisse salutem & vitam æternam.*

## LXII.

*Qua sententia erronea, etiam si nullis certis vel documentis ex scripturâ, vel testimonijs ex verâ & orthodoxâ antiquitate probari possit; nihilominus tamen à Lombardo Pontificiorū Coryphæo, & Hugone primum fuit introducta, & deinceps fabri-*



fabricatâ opinione operis operati acriter à reliquis scholasticis  
defensa.

## LXIII.

Quorum tamen alij, ubi viderunt ἀτοωον esse, & quidem  
ἀτοωωτάτορ, si dicatur justis in V. Testamento non fuisse collatam  
gratiam; Sacramenta V. Testamenti contulisse gratiam non ex  
opere operato, sed ex opere operante sinxerunt.

## LXIV.

sed hoc directè & διε, διε πασών pugnat cū Paulo, qui Rom.  
4. docet & confirmat circumcisionem non justificasse Abrahamū  
ex opere operante, seu per modum meriti, sed fuisse sigillum seu  
obsignationem justitiæ fidei, cuius proprium est, ut beatitudo sit e-  
ius hominis, cui Deus secundū gratiam credenti, nō operanti, im-  
putat justitiā sine operibus. XLV.

Qui verò nunc sunt conductitij Pontificiæ causæ Patroni, ut  
amoliantur suspicionem novitatis, non utuntur Scholasticorū ar-  
gumentis, cum nullius momenti ea esse animadvertant, sed Pa-  
tres summo consensu fictitiæ suæ opinionis astipulatores vendi-  
tant; & ne dixisse tantū id, sed adduxisse etiam aliquos videan-  
tur, Augustini auctoritatem nobis obijciunt, qui dicit Psal. 73. Sa-  
cramenta nō sunt eadem, quia alia sunt dantia salutem, alia pro-  
mittentia Salvatorem. Sacramenta N. Testamenti dant Salutem.  
Sacramenta V. Testamenti promiserunt Salvatorem.

## LXVI.

Verū nos presidium hoc, quod Papistæ in Augustini dicto  
collocant, esse infirmum & prorsus nullum asseveramus. Commit-  
tunt enim παραλογισμὸν à dicto secundum quid, ad dictum sim-  
pliciter. Augustinus enim non loquitur de omnibus Sacramentis  
V. Testamenti, sed de ijs, quæ non habebant annexam promissio-  
nem, erantq; mera signa, de quibus hoc loco non disputamus.  
Deinde distinguit Augustinus inter ipsas spirituales promissio-  
nes in V. & in N. Testamento, quod videlicet in V. Testamen-  
to sint promissiones Christi venturi, in Novo verò sit annun-  
ciatio CHRISTI exhibiti. Non minus autem promissio  
de futuro semine benedicti in Veteri Testamento fuit po-  
tentia



tentia Dei ad salutem omni credenti, quam annuntiatio de Christo exhibitio in N. Testamento.

## LXVII.

Nihil igitur Pontificijs hic locus Augustini patrocinatur, quasi tempore V. Testamenti plane nulla fuerint sacramenta, per qua Deus in verbo obtulerit, exhibuerit, & obsignarit gratiam, cum certum sit, promissionem gratiae tunc annexam fuisse certis quibusdam ritibus seu sacramentis.

## LXVIII.

Quin potius contrarium ex Augustino potest probari. Nam tractatu in Ioh. 26 - inquit: Sacramenta V. Testamenti in signis fuerunt diversa, in re, qua significatur, paria sunt. Et tractatu 45. in signis diversis fides eadem, sicut in diversis verbis, quorum alterum pronunciat Christum venturum; alterum annunciat Christum venisse. Et contra Faustum multis argumentis agit in diversis signis, sacramentis seu ritibus utriusq. Testamenti, res non esse diversas, sed easdem, ut in lib. 19. cap. 14. 15. 16. legenti est obvium. Et haec tenus Augustinum ex Augustino refutavimus.

## LXIX.

Erepto autem Pontificijs presidio Augustini ad scripturarum adyta confugiunt, incongrue cum talibus nonnullis scripturarum locis. Verum hic Pontificij nostri recte assimilantur corvo Noe, qui emissus semel in arcam non redit, sed ad arcam duntaxat advolat: ita illi quoque ad sacrorum oraculorum arcam advolant quidem vanam suam loquacitatem, sed non ingrediuntur, neque sensum e scriptura exportant, sed important.

## LXX.

Quare ad dicta scripturae facile respondere possumus, si servetur Hilary regula, ut intelligentia dictorum sumatur ex causis dicendi. Scriptura enim de sacramentis V. Testamenti saepe non loquitur, quid sint per se, id est, ex divina institutione, ut scilicet sunt sigilla promissionis gratiae & iustitiae fidei; sed reprehendit & refutat falsas opiniones, quas homines externis illis ritibus negl. et a promissione & fide affingebant, quod videlicet putabant



355  
rabant, se ex merito & dignitate operum, quæ in externis illis  
ritibus exercebant, iustificari.

LXXI.

Contra hanc opinionem Paulus pugnat disputans de circum-  
cisione Rom. 2. Gal. 5. Et in epistola ad Heb. ostendit solius Chri-  
sti sanguinem habere virtutem emundandi conscientiam à peccatis.

LXXII.

Quod igitur Patres sub V. Testamento iustificati sunt, hoc  
dicit factum esse non virtute sanguinis pecudum, aut reliquarum  
lustrationum; Sed quod sub illis figuris & umbris fides aliud ob-  
iectum sit intuita, & apprehenderit, promissionem scilicet de fu-  
tura victimâ Filij Dei Mediatoris.

LXXIII.

Gravissimè itaq; hallucinantur Pontificij in Sacramento-  
rum differentiâ ponendâ. Cum enim eandem promissionem  
Rom. 1. v. 2. eandem gratiam Rom. 4. v. 1. & 6. eandem effi-  
caciâ meriti & obedientiæ Christi Heb. 13. v. 8. Apoc. 13. v. 8.  
eandem fidem Rom. 3. v. 21. eandem iustitiam & salutem Act. 15.  
v. 11. Rom. 4. v. 1. & seqq. Deus per Sacramenta V. Testamenti  
populo suo obtulit, exhibuit, applicavit & obsignavit, Luc. 1. v. 73.  
Gen. 17. v. 7. quæ in N. Testamento per Sacramenta offertur &  
confertur, quis est adeò stupidus & rerum Theologicarum ignarus,  
qui non videat ratione finis seu usus salutaris utraq; convenire?

LXXIV.

Ex quibus omnibus constat, Sacramentorum utriusq; Testa-  
menti esse & convenientiam, & differentiam non obscuram.

LXXV.

Conveniunt: 1. causâ efficiente: quia utrorumq; autor Deus  
est. 2. Rerum substantialium numero. Utrubiq; enim est elemen-  
tum in oculos incurrens, & verbum mandati ac promissionis an-  
nexum. 3. Fine, qui ubiq; est confirmatio fidei de remissione  
peccatorum. 4. Negatiâ & fructu salutari, seu re Sacramen-  
ti, quæ utrobiq; Christus fuit, cum suis beneficijs. 5. Usu; Nam  
ut utrobiq; sint salutaria, fides in utrisq; requiritur.



## XXLVI.

*Differunt autem primò signis seu ritibus externis. Cum enim Christus suâ incarnatione implevisset ea, quæ veterum Sacramentis significata & promissa fuerant, mutata & abrogata sunt vetera illa Sacramenta, & per institutionem Christi Mediatoris alia in ipsorum locum substituta. Alijs enim ritibus, inquit Augustinus contra Faustum lib. 19. cap. 16. res annunciari debuerunt completa, quàm his, quibus adhuc præannunciabantur complenda.*

## LXXVII.

*Secundò conditione. Illa Christum cum suis beneficijs eminens monstrârunt & significârunt: hæc verò Christum exhibitum testantur atq; præsentem offerunt. Vnde illa comparantur umbris: his verò corpus ipsum contineri testatur Apostolus Col. 2. Heb. 11. Et Augustinus Psal. 73. Illa præannunciativa venturi Christi; hæc annunciativa exhibitivi appellat.*

## LXXVIII.

*Tertiò gradu. Illa fuerunt laboriosiora; hæc verò actu faciliora. Quod testatur Augustinus lib. 3. de doctrinâ Christianâ c. 9. dum ait: Pauca pro multis, eaq; factu facilima, & intellectu augustissima, & observatione castissima ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina, sicut est Baptismi Sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini. Et contra Faustum lib. 19. cap. 13. Prima Sacramenta cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt: & alia instituta, virtute maiora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Et in Psal. 73. Mutata sunt Sacramenta, facta sunt faciliora, salubriora, feliciora.*

## LXXIX.

*Quartò differunt tempore, latitudine & statu Ecclesie. Illa seculi legis, terra Iudaica & Ecclesie sub tutore & curatore constituta; hæc seculi gratie, orbis universi & Ecclesie Evangelicæ sunt propria, Matth. 28. v. 19. Gal. 4. v. 25.*

## LXXX.

*Quintò obligatione. Illa populum Iudaicum tantum &*  
*huius*



2857  
huius socios; hac verò Ecclesiam ex Iudeis & gentibus collectam  
obligant. Matth. 28. v. 18. Marc. 16. v. 15.

LXXXI.

Sextò duratione. Illa usq; ad Messiam debebant durare; hac  
ad finem usq; mundi.

LXXXII.

Ex quibus omnibus sole meridiano clarius est, quomodo Sa-  
cramenta N. Testamenti à veteribus differant, non tantum quia  
ceremonia sunt alia & alij ritus externi: sed quod discrimen sit  
aliud longè illustrius, sicut iam dictum est. Verum nos illis missis  
ad ultimum membrum progrediemur.

## CAPUT QUARTUM.

### DE DIFFERENTIA SACRAMEN- torum inter se.

LXXXIII.

Rectè dicitur de Sacramentis indicandum esse ex propria  
cuiusq; institutione.

LXXXIV.

Quod tamen de eo intelligendum est, quod sub genere seu na-  
tura communi Sacramentorum non comprehenditur, sive quod  
est unicuiq; peculiare & proprium.

LXXXV.

Sunt autem peculiaria hac potissimum: 1. Singula Sacramen-  
ta suum habent peculiare elementum. 2. Habent aliud verbum  
περὸς αὐτὸν ἰδιόμορον, quo cuiusq; peculiaris ceremonia describi-  
tur. 3. Modo participationis inter se discernuntur. Vi enim in Ba-  
ptismo spiritualiter per fidem Christo inserimur; ita sacra cœna  
facit eundem corporaliter quoq; communicatione carnis & san-  
guinis in nobis habitare, & nobis coniunctionis rationem etiam  
secundum carnem cum illo esse. Rom. 12. v. 5. 1. Cor. 6. v. 15.  
1. Cor. 12. v. 13. 1. Cor. 10. v. 16. & 11. v. 29.

LXXXVI.

Quando verò Pontificij in tertio canone fulmine Anathematis

C 3

illos





illos feriunt, qui nullam differentiam inter septem falso ab ipsis numerata Sacramenta statuunt, ab eius certe Canonis fulmine trifulco capita nostra omnino libera esse omnibus est in confesso.

## LXXXVI.

Nequaquam enim nos sentimus vel docemus, septem Pontificiorum Sacramenta ita inter se paria esse, ut sicut Baptismus & Eucharistia, eodem etiam modo, seu paritate reliqua quinq; verè & proprie sint Sacramenta. Hoc ipsum enim est, quod in secundo membro huius *σὺν τῷ κτῶσι* demonstravimus.

## LXXXVII.

Ne tamen frustra Pontificij fulminare ac detonare putentur, duo eius Canonis mysteria aperiemus.

## LXXXIX.

Primum est, quod dignitatem Chrismatis in Confirmatione, licet nullum Dei mandatum, nullamq; promissionem habeat; multò tamen præstantiorem, multoq; ampliorem esse, quàm ipsius Baptismi, expressum Dei mandatum, certissimamq; promissionem voce filij Dei annexam habentis, statuunt.

## XC.

Idq; ob duplicem rationem: 1. quia Baptismus potest administrari etiam ab ijs, qui sunt in simplicibus Sacerdotum ordinibus constituti, imò etiam à Laicis in casu necessitatis: Confirmatio verò à solis Episcopis. 2. quia Baptismus est Sacramentum initiationis, per Confirmationem verò confertur perfectio gratiæ & gloriæ.

## XCI.

Deinde quoq; ritum ordinationis Sacramentum esse & nobilitate & perfectione dignius & præstantius quàm Sacramentum Baptismi asserere non erubescunt. Ordo enim, inquiunt, constituit hominem in gratiâ, gradu & statu dignitatis, quod non facit Baptismus.

## XCII.

Sed audite, quæso, hominum impudentiam! Pontificij cum in 1. Canone ceremonias nec à Deo institutas, nec præceptas, Sacramentis ab ipso filio Dei ordinatis & Ecclesiæ commendatis adæquas-



adaequassent; jam in 3. Capone nonnullas earum in sublimiorem dignitatis gradum extolli & collocari postulant.

XCIII.

Nonne haec sacrilega est audacia? Nonne insignis in religiosissimum Baptismi Sacramentum ignominia, qua vis eius ac dignitas prorsus elevatur & convellitur? Siquidem id, quod Verbum Dei ascribit Baptismo, per impietatem sathanicam attribuitur Chrismati citra Verbum Dei humanitus confecto & introducto.

XCIV.

Testatur Paulus in Baptismo nos non solum consepeliri Christo, moriq; peccatis virtute mortis Christi, sed etiam cum eodem in vita novitatem resurgere virtute resurrectionis Christi Rom. 6. Christumq; induere Gal. 3.

XCV.

Qui igitur in vita novitatem resurrexerunt, qui Christum induerunt cum donis suis, hisne deesse aliquid ad pugnam Christianae militiae ineundam & sustinendam putemus?

XCVI.

Quae porro major potest esse contumelia in sacram scripturam, quam eam imperfectionis arguere, eiusdemq; supplementum ex edelodgno uicue, seu ex hominum inventis petere? Dum enim confirmatione sua plenos reddi Christianos asserunt, simul etiam innuunt, non omnia in scriptura contineri, quae ad Christianismi integritatem sunt necessaria, contra apertissimum Apostoli Pauli testimonium dicentis: Omnem Scripturam divinitus inspiratam utilem esse ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quae est in iustitia: ut PERFECTVS sit Dei homo ad omne opus bonum apparatus.

XCVII.

Quid verò de Apostolis ac reliquis Martyribus dicent, qui nusquam chrismate uncti fuerunt, cum nondum oleum esset ab Episcopis consecratum? Quos semiChristianos, imò nullos potius fuisse necesse est?

98. Altes





## XC VIII.

*Alterum mysterium huius Canonis est, quod dignitas Sacramenti ordinis non potest ferre honorabile, sanctum & castum conjugium, licet & ipsum nominent Sacramentum.*

## XC IX.

*Sed quid audio? Numne unum Sacramentum profanat alterum? Numne Deus autor est Sacramentorum contrariorum, quae se mutuo ferre nequeunt, ita ut Sacramentum ordinis facilius admittat centum prostibula, quam unam legitimam conjugem? Nonne hic satis apparet, quod Spiritu vertiginis ducuntur Pontificij, qui conjugium interdum ut impurum statum damnant, & sacrificulis suis citius impurissima, fatidissimaq; scorta concedunt, quam secundum ordinationem Dei legitimas uxores; interdum vero Sacramentum ex eo faciunt, ita tamen, ut Sacramento ordinis sit oppositum & inimicum. Proh hominum extremam impietatem & inconstantiam!*

## C.

*Si quis plura huius Canonis mysteria desideret, is legat vel Andradium, vel Pighium, vel alios maleferiati Conciliabuli patronos, ubi facile animadvertet, Papistas sese & alios huiusmodi notarijs mendacijs atq; nugis pascere malle, quam veritati ad oculum demonstrata palmam concedere.*

## C I.

*Atq; haec de quatuor huius disquisitionis capitibus proposuisse sufficiat. Deo vero soli Sapienti, Omnipotenti & Misericordi sit laus, honor & gloria in seculorum secula Amen.*

**F I N I S.**



99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405




17470c

Retro

VD17











B.I.G.

Farbkarte #13

29 337



...IADOS, ...IA...  
**VND A**  
 ...NIS CON...  
 ...NI REVEREN...  
 ...VIRI Dn. D...  
 ...M NITII...  
 ...PRIMA...  
 ...um,  
 ...eiusq. definitione.  
 ...um Novi Testamenti.  
 ...ferentia Sacramento-  
 ...Testamenti.  
 ...torum inter se.  
 ...ndam  
 ...dio



**GESNERI,**  
 ...in Academia Wi...  
 ...d Decemb. 1...  
 ...electoral.  
 ...E Lubecensis.  
 ...Æ,  
 ...eri, Anno 1602.



constat 20 gg.

